

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst oficjalny

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 181–181v

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 38 [Gn. 32]

[38] De vulnerante aliquem in facto recenti cum clamore capto et ad iudicium deducto.

Si aliquis detinet hunc, qui ipsum vulneravit in facto recenti et ipsum cum clamore ad iudicium deduxit, qui sic queruletur cum prolocutore: „Domine iudex, ego cum querela propono super istum virum, quod ipse [k. 181v] venit intra municipalia vel in strata regia, et in me pacem violavit, et me spoliavit in meo corpore et in meis bonis, meque vulneravit, dum pacem in me confregit. Tunc vidi ego ipsum propria in persona et proclamavi in eum cum clamore, et ipsum captivum huc ad iudicium deduxi, et volo ipsum vincere per eos, qui clamorem meum audierunt, et cum meo testimonio vero, ut ius mihi diffinierit. Et in sententia requiro, quod hoc probare debeam et valeam, ita ut proficiam in iure meo”. Extunc satisfacionem adversarius rectam petat pro hac querimonia, et dicat se de facto innocentem.

Ille autem, qui ipsum captivum in facto manifesto detinuerit, facilius eum vincere potest cum testimonio, quam ipse captivus cum testimonio eum evadere possit. Si, ut iuris est, probaverit testimonio, illi solvet collum, si est homicidium, vel manum, si est vulnus monomachale, ex quo ad iudicium ipsum cum manifesto facto deduxerit.

Pro teste potest quivis vir alteri astare, qui in suo iure non possit argui, excepto patre, fratre, famulo et filio, necnon mercenario. Etiam ullo precio conventi in aliquibus causis non valent contestari, qui eiici iure possunt.

[hasła: zranienie, skarga, gorący uczynek, pełnomocnik, droga królewska, sąd, gwar, zabezpieczenie, niewinność, zabójstwo, kara śmierci, kara ucięcia ręki, rana godna pojedynku, świadek, ojciec, syn, brat, najemnik]